



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispositio Et Perioche Historiae Evangelicae Per IIII.
Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostoloru[m],
Epistolaru[m] quoq[ue] Pauli XIII. & Canonicaru[m] VII.**

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1553

VD16 B 9605

Dispositionis Et Perioches Historiæ Evangelicæ Secvndvm Matthaevm

urn:nbn:de:hbz:466:1-35634

EVANGELIUM
DISPOSITIONIS
ET PERIOCHES HISTORIAE
EVANGELICAE SECUN-
DUM MATTHAEUM
LIBER I.

Caput 1.

Genus et
Natiuitas
Christi.



PRIMO capite describit Matthaeus genus
& natales Christi domini, e quibus secun-
dum carnem & iuxta prophetarum ora-

cula uerus homo genitus est. Generi conceptionem ac
natiuitatem ipsam subtexit, demonstrans Christum do-
minum pure conceptum esse e spiritu sancto, & no ex
femine Ioseph, natum autem ex illibata Maria uirgine.

Cap. 2.

Reuelatur
Christus.

Deinde ostedit huc Christum natum esse Iudeis et Gētibus:
quorum illi tamen Christum no magnopere curant, hae
uero diligenter quaerunt, inueniunt & adorant. Nam ut
Deus per celebri aliqua epiphania hoc mysterium salutis
orbi exhibita declararet, mox ab initio incarnationis
dominicae homines Orientales, magos inquam uiros ui-
delicet principes & sapientes excitat, qui stella instiga-
tore ex Oriente proficiscentes, regem & liberatorem
orbis quaesitum ueniunt Hierosolymam, ubi cum ipsorum
praconio increbuisse natum esse Messiam regem Israe-
lis, conuocat rex Herodes omnes Iudeorum sapientes tre-
pidus, iubetq; ut diligenter de ortu ac patria Messiae pro-
phetarum

phetarum oracula excutiant. Hi mox respondent in Bethlehem Iudæe nascendum fore ducem Israelis Bethlehem ergo proficiscuntur magi, ubi et Messiam dominum satis quidem pauperculum & uilem inueniunt, reuerenter tamen adorant, mysticisq; muneribus honorant, & suo hoc facto testantur, primū quidem, hunc puerū, licet abiectæ uideatur sortis, uniuersorum esse dominum, Iudæorum & Gentium regem assertorem: deinde eundem ab omnibus adorandum esse & colendum. Interea ueteres artes exercet antiquus serpens, Herodem enim Iudæorum regem excitat, ut Christum uerum Israelis regem in herba extinguat. Proinde uerox & ambitiosus tyrannus crudelitate inaudita oras Bethleemiticas innocentiſſimo opplet infantium cruore, si forte in hoc bimulorum infanticidio regem quoq; Israelis extingueret liceat: sed sefellit hominem impuriſſimum spes funesta & nephanda. Subducitur enim angelo domini consultore in Aegyptū dominus, ubi & latitat, donec parricidam nepharium diuina exinguat ultio. Quæ quidem prognostica fuerunt regni Christi, ac futurarū ecclesie rerum, in qua Christus unica salus toti orbi præſectus rex, ab impijs semper oppugnatur, sed idem interim salutem fidelium operatur, & patiendo uincit perpetuo: ita tamen ut pij nihilominus perpetuis exercentur tentationibus & afflictionibus in suam ipsorū utilitatem & gloriam.

Infanticidium Herodis.

EVANGELIUM
LIBER II.

Caput 3.

SECUNDVS liber Commentariorum exhibebit
tibi Lector clariorem apertiolemq; domini nostri
Iesu Christi saluatoris mundi manifestationem. Pater enim
filium suum non iam paucis & delectis aliquot aut etiam
una atq; altera reuelatione, quemadmodum hactenus fa-
ctitatum uidimus, sed toti mundo & demonstrationibus
quidem innumeris & apertissimis aperit, spectandumq;
cum omnibus thesauris suis manifestissime proponit.
Ioan. bapt. Nam initio Ioannem Zachariae sacerdotis filium, in pro-
predicatio. phetis promissum Heliam, sanctissime uitae hominem, &
authoritatis apud Iudaicam plebem maximae, euocat, &
praedicatum filij aduentum in carnem, imò preparatum
omnium animos, quo uenientem Christum promptius
recipiant, ablegat. Prodit ergo Helias iste, atq; omnes
hortatur ad poenitentiam, & ut uenienti domino sese
parent. Diserte enim addit, In propinquo esse regnum
caelorum, id est, nunc illud appetere, imò adesse tempus,
quo deus per prophetas promiserit se per filium suum
omnes gratiae suae donorumq; thesauros effusurum in
homines, ac regnaturum in ipsis. Doctrinae huic addit
celebre & sacrosanctum Baptismi sacramentum, quo my-
steria dei, cultoribus dei uisibiliter etiam representaret,
atq; populum fidelem in unum corpus colligeret ac inse-
reret

reret Christo. Deinde uero euocat coelestis pater ipsum quoq; filium suum e Galilea, in qua latuerat hactenus, in Iudaeam, ut quonia satis iam uidebantur plebis animi per Baptistam ad recipiendu Christum preparati, ipse nunc prodiret in theatrum, no amplius alieno testimonio, sed sua doctrina & suis ipsius uirtutibus sese declarans & exhibens mundo. Venit ergo in Iudaeam ad Iordanem dominus, ubi docebat Ioannes & baptizabat in Christum, atq; ipse quoq; a Ioanne baptizatur. Porro Baptista agnoscit protinus saluatorem mundi, & ideo uerbis manifestissimis testificatur hunc illum ipsum esse dei filium, agnum dei qui tollat peccata mundi, de quo hactenus differuerit, in quem omnes intendere iusserit, id ipsum nunc ardentem repetens omnes ad unum ac solum Christum remittit. His addit praeterea coelitus pater coelestis testimonium suum magnificum id certe & prodigiosum. Apertis enim caelis, & demisso super Christi caput coelestis columbae uisibili signo ceu digito in Christum extento, uoce simul addita clarissima, Hic, inquit, est filius meus unice dilectus, & adeo dilectus, ut eius solius gratia mundo, cui ob peccata suam inferissimus, nunc maxime sim placatus reconciliatusq;.

Atq; hic quidem post tam excellens testimoniu non Cap. 4.
protinus ipsum sese praedicauit, & omnibus uisendum fruendumq; praebuit hominibus, sed in palestram gra-

Christus
ipse prodit
& baptizatur.

EVANGELIUM

Christus
tentatur.

uissimarum tentationum progressus, in qua infeliciter
pugnans Adam succubuerat, ipse nunc secundus Adam
felicius certans, uictorem satanam & uincit, & uictum
nos quoq; uincere docuit: uictor autē iam magna cum
authoritate, utpote diaboli & omnium rerum dominus
denuum prodit, ac uitam & omne bonum adcoq; regnū
coelorum promittit suis cultoribus, prædicans gratiam
dei remissionemq; peccatorum, ac omnes adhortans ad
uitæ emendationem. Præterea ut intelligeremus hanc
uitæ promissionem & prædicationem gratiæ non per-
tinere ad eius tantum sæculi homines, sed ad omnes qui
ad finem usq; sæculi futuri sunt, deligit sibi discipulos,
quos in mundo omnium quæ diceret & faceret, testes
constitueret, & quos mysterium uitæ plenissime edoce-
ret, ut hi denuum satis instructi, & uoce uiua & scri-
ptis æternum uiuentibus thesauros gratiæ dei per Chri-
stum toti mundo & omnibus sæculis præstitos commen-
darent, atq; ueluti distribuerēt. Ad hæc adijcit insignia
& ingentia beneficia, dum uirtute sua omnes morbos
quantumuis insanabiles profligat. Ita enim nobis omni-
bus non uerbis duntaxat, sed ipsa quoq; uirtute decla-
rat, se talem omnino esse qualem doctrina proponat,
saluatorem uidelicet mundi, qui suos cultores & uelit
& possit saluare: quare hi quoque soli sese per fidem
committere debeant.

Christus
deligit disci-
pulos.

Hæc

S. M A T T H A E I

Hæc inquam sancta ac salutaria discas ex hoc 2. li-
bro, ut ipsa rei tantæ maiestas & utilitas te, nisi truncus
sis totus, ad studium & diligentiam excitare possit.

L I B E R I I I .

EXHIBUIT nobis inter alia quæ in hoc quar-
to capite tractauit Matthæus gustū quendam ser-
monū doctrinæ Christi de pœnitentia & remissione pec-
catorum, id est, de mysterio Euangelij & gratiæ dei, de
agnitione inquam & confessione peccatorum, deq; con-
uersione à peccatis ad deum uiuum per fidem Iesu Chri-
sti, per quam assequimur remissionem peccatorum &
uitam æternam quicūq; credimus ex animo: pergit iam
idem author per consequētia tria capita etiam alios do-
ctrine Christi præcipuos locos exponere, nō iam solita
breuitate utens, & capita duntaxat sermonis dominici
consignans, sed totū Christi sermonē, ita ut ab ipso habi-
tus est ex integro contexens, quo uidelicet certius re-
ctiusq; de omni doctrina Christi iudicaremus, atq; post
pœnitentiā et remissionē peccatorū, præcipua religionis
nostræ capita, etiā alios præstāiores doctrinæ Christia-
næ locos plenius intelligeremus. Oratio ipsa seu sermo
Christi didacticus expositoriusq; alicubi uero et paræ-
neticus est, uariis itaq; & de uarijs rebus compositus.
Principio enī luculenter disputat de uera beatitudine ser-
mo

Cap. 5.

Sermo
Christi in
monte.

E V A N G E L I V M

- Felicitas.** felicitate, ostendens quibus in rebus illa sita sit, & tacite interim confutans stolidas & corruptas vulgi de vera
- Lex.** felicitate opiniones. Deinde descendit ad legem repurgandam. Corruperant enim hanc suis traditionibus, & obscurarant ipsam commentitia sua expositione Pharisæi, itaq; quis genuinus legis sensus sit, & quid lex dei à nobis requirat, productis aliquot è lege exemplis manifestissime demonstrat, simul & ueræ & falsæ iustitiæ
- Iustitiæ opera.** differentiam ostendens. Et quoniam de iustitia differabat, & inter omnia opera iustitiæ maxime excellunt eleemosyna siue misericordia aut beneficentia, oratio item siue ardens cum deo colloquium, & ieiunium siue
- Caput 6.** corporis carnisq; nostræ castigatio, iccirco dominus noster illa ipsa opera iustitiæ siue exercitia pietatis repurgat ab hypocrisi, qua Pharisæi illa conspurcarant, pristino et natiuo nitore restituens, pulcherrimeq; indicans quomodo rite præstanda sit eleemosyna, quomodo uere oremus religiosèq; ieiunemus. Hinc uero cum confessum sit non alium affectum perinde abstrahere ab omni pietate iustitiæq; atq; habendi studium, & nimis anxiam de uictu & amictu sollicitudinē, ideo quarto loco graui oratione abstrahit ab auaritia, commode deniq; sollicitudinem nimiam, id est perfidam diffidentiam eximit suorum pectoribus, & inserit rursus fidem in deum & fidele religionis ac iustitiæ studium. Post hæc summa fide

& diligentia temerarium hominum de alijs hominibus
 iudicium, detractionem inquam & calumnias uitan-
 das esse significans, ostendit moderate & recte uti lin- Lingua.
 gua. Nō enim minores turbæ ex uitio linguæ quàm au-
 ritia habendiq; studio exoriuntur.

Porro cum hæc omnia uirtute diuina in nobis per
 gratiæ beneficium, non per nostras uires perficiuntur,
 ergo utiliter & in loco adhortatur per consequentia
 dominus cultores suos ad fideles preces, quibus sibi à
 deo uires suffici postulent, necubi suo desint officio. Ad
 hæc splendidissimas amplissimasq; promissiones adiun-
 git, preces fidelium sese exauditurum pollicens, quo stu-
 dium precandi magis inflammaret in pijs. Ista uero om-
 nia copiosissime hæctenus proposita in breue contra-
 hens compendium, Omnia, inquit, quæcunq; uolueritis
 ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Hæc e-
 nim est lex & prophetæ. Deinde proposito biuio &
 utriusq; uix modo, ratione & fine addito, ad illud nos
 omnes ingrediendum adhortatur, quod arctius est &
 asperius quidem, sed ad uitam interim æternam intro-
 ducit. Rursus quia de itinere dixerat per quod abitur Pseudopro-
 in præcipitium, protinus diligenti admonitione cauet phetæ.
 necubi in exitium abducantur sancti pseudopropheta-
 rum artibus & impostura, quos in hoc suis coloribus
 pingit, ne simplicioribus bona specie imponant, &

EVANGELIUM

ueritatis uia in haeresum ambages ac praecipitia abripiantur. Tandem uero concludens diuiniſſimū hunc sermonem, postremo loco aperte docet, nullam speciem externam ad pietatem perficiendā ulli prodesse homini, ergo ad pietatem & uitam consequendam non satis esse autē dire & intelligere uerbum dei, aut magnificis etiā uocibus iactare, nisi & sanctissimis fidei uirtutumq; operibus exprimamus: id quod ficta narratione seu parabola pereleganti expolit, & ob oculos omnium statuit, inhortans quemlibet nostrum ad uerum uerae peitatis studiū, quod permanentē et suauissimū habet fructū uitae.

Est autem hoc argumentū & illa complexio totius orationis quam in monte habuit ad omnem populū saluator noster Christus dominus. De ea S. Augustinus, Apparet, ait, istum sermonē omnibus praecipis, quibus Christiana uita informatur esse perfectum.

LIBER III.

Christi beneficia seu miracula.

RECITAVIT Matthaeus tribus praecedentibus capitibus Sermonem Christi integrum, quo nobis gustum praebet, ac ueluti compendium contexeret uniuersae doctrinae Christi, consequentibus duobus capitibus uirtutem & potentiam Christi maximam, congestis beneficijs miraculosis quampluribus illustrat, & illustratam

Illustratā omnibus proponit diligenter considerandam,
 ut inde totus mundus colligat Iesum Christum uiui &
 omnipotentis dei, uiuum, uerum ac omnipotentem filiū
 esse: nec omnipotentem modo, sed etiam benignissimum,
 qui uenerit conuertendis, sanandis saluandisq; pecca-
 toribus. Hoc inquam diuinissimis & prorsus stupendis Cap. 8.
 miraculis à Christo designatis euidentissime demonstrat,
 quorum hæc summa est, Initio mundat leprosum suppli-
 cem. Deinde Centurionis cuiusdam puerū iam iam agen-
 tem animam, & quasi exanimem restituit uitæ ac sani-
 tati integræ. Hinc socrum S. Petri febricitantem sanat:
 omnes deniq; omniū infirmitates curat. Præterea ipsum
 mare elementū barbarissimū & seuis tumultuans pro-
 cellis, increpitans, quouis oleo tranquillius reddit. Mox
 par demoniacorum, quod omnibus repagulis atq; cate-
 nis disruptis, uiatoribus præmodum erat molestum, nec
 cuiusquam arte aut robore domari poterat, tacita uir-
 tute attrahit, è miseris integram legionem eijcit, & pri-
 stinæ restituit incolumitati. Post hæc paralyticum in le- Cap. 9.
 cto, non hominem, sed hominis uerius cadauer misera-
 bile, decumbentem, morbo grauissimo ita liberauit, ut
 protinus ipse suis insistens pedibus, ambularet expe-
 dite, qui hætenus ab alijs fuerat portatus, ac ipse de-
 nique lectum ualidus gereret in humeris, à quo huc-
 usque æger fuerat sustentatus. Inde uero uocatur ad

E V A N G E L I V M

penitentiam Leui Matthæus, simulq; magna spes aperitur omnibus peccatoribus ad Christū sese conuertentibus. His ita peractis, curatur incurabilis ille morbus foeminae profluuio sanguinis calamitosissime laborantis. Reuocatur item ad uitam quæ excesserat Iairi filia. Et uisum recipiunt duo cæci, liberaturq; à demonio muto longe miserrimus quidā homo. Neq; uero hæc paucula modo designauit miracula, sed per omnes ciuitates ac uicos transiens, ac Euangelium regni annuncians, sanabat omnes morbos & omnes languores in populo.

Scopus miraculorum Christi.

His inquam omnibus declaratur nobis ab apostolo Matthæo, et ceu firmissimis & irrefutabilibus argumentis ac testimonijs confirmatur, quod Christus sit uerus ueri dei filius, uniuersorū dominus, elementorū inquam omnium, morborū & affectionum, omnium peccatorū, diaboli, ac mortis deniq; & quod ideo uenerit in hunc mundum, ut omnū rerum nos dominos ac filios dei constituat, si uidelicet ipsum uera fide recipiamus. Itaq; studet Matthæus nō tam uirtutē Christi & quod benignus & munificus sit largitor omnium bonorū ex actis describere, quā illorum quoq; fidem moresq; omnes depingere qui receperunt Christi beneficia. In his enim ceu uiuis exemplis discimus qualis esse debeat fides nostra, & quomodo nos geramus ut beneficiorum dei facti participes, id est, quomodo efficiamur filij dei, domini

mini rerum, quibus non noceat uel peccatum uel mors, uel ipse deniq; satanas, si uellicet illorum exempla imitati, eadem cum ipsis praestiterimus. Miscet his interim quaedam in 8. cap. de Vocatione ad fidem Euangelij, & in 9. cap. de Ieiunio & alijs quibusdam rebus, quae & ipse faciunt ad explicationem uirtutis fidei, & dominicae potentiae ac benignitatis.

Est autem maxime euidens & popolare genus doctrinae, historia siue exemplis, id est factis magis quam dictis docere: unde priores tres Euangelistae in illis tractandis multo frequentiores sunt quam in his exponendis. Et sane Christus operans longe uiuacior nobis esse uidetur quam docens. Quanquam enim doctrina eius energiam quoq; habuit diuinam, excellunt tamen quodammodo ipsa facta, istud quod docetur exercentia comprobantiaq;. Nemo ergo priores Euangelistas praeter Ioanne contemnat, quod hic in sermonibus Christi consignandis uideatur fuisse & crebrior & diligentior. Habent enim etiam illi suam maiestatem: sed & spiritus sanctus omnium animos & calamos in hoc direxit, ut ex quatuor authoribus authenticis haberemus certissimam et indubitata de omnibus Christi dictis et factis historia.

Liquet etiam ex his quae haecenus tractata sunt, Mattheum per initia usum esse ordine naturali, mox artificiali quoq;, & hoc ipso ordine nunc maxime progredi,

Facta & sermones Christi.

Ordo artificialis.

utpote ad docendum appositissimo. Videtur enim non tam spectasse, ut id quod à domino dictum ac factum erat, bona fide recitaret, quam ut quodq; suo loco ac ordine collocaret, ipsoq; ordine suo commode commode doceret, & animos auditorum commoueret maxime, imò Christum & fidem in Christum infingeret altissime.

LIBER V.

HACTENVS recensuit Matthæus compendium quoddam uniuersæ doctrinæ Christi domini, quibus suos cultores abunde de uera pietate instruxit: adiecit huic maxima quæque eiusdem miracula, opera inquam diuina & stupenda, quibus ille sese declarauit dominum esse uniuersorum, potentem ac benignum, qui uera fide sibi adherentes dominos quoq; efficiat peccati, mortis, satanæ, deniq; rerum omnium. Ad hoc negotium delegerat sibi testes, quos hucusq; omnibus suis tam dictis quam factis adhibuit & spectatores & auditores, nimirum ut hi salutis communis negotium nunc quidem animis conceptum reconditumq; aliquando in totum orbem efferent. Et hi quidem uidebantur iam satis instructi in rudimentis & primordijs fidei ac doctrinæ Christianæ, proinde oportuit eos porro exerceri in his, atq; parari interim ad maiora: ablegantur itaq; ab ipso domino

Cap. 10.

Instruantur
& mittuntur
apostoli.

missi

mino prædicatum nunc populo duntaxat Israelis euang-
gelium, certisq; instruuntur mandatis. Nam dominus
diligenter præscribit quid faciant, & quodnam ipsorum
sit officium: simul autem indicat quid passuri sint, in
quanto cum periculo coniunctum sit gerere ministeri-
um uerbi in corrupto & ingrato sæculo. Ideoq; consolatur
suos egregie & pulchre instructa oratione, docens quo-
modo in omnibus malis constanter in uera pietate per-
seuerare ac omnia mala uincere oporteat.

Post hæc exponit quomodo ipse dominus Iesus, qui Cap 17.
unice à ueracibus uerbi dei ministris prædicandus com-
mendatur, sese aperuerit ostenderitq; se esse Mesia-
rum, unicam illam orbis expectatam salutem: quod certe Christus
Mesias.
totius prædicationis dominicæ primum & solidissimam
fundamentum est. Eodem loco contextitur & Ioannis
Baptistæ encomium, optimi uidelicet ministri illustrissi-
mum exemplum, omnibus qui recte sua functione uti cu-
piunt propositum. Adiungitur protinus & concionis
dominicæ egregium exemplum. Principio, quomodo
sue gentis peruicacem incredulitatem obiurgarit, suisq;
ministris accusandi increpandiq; specimen reliquerit.
Deinde, quomodo melioris spei hominibus regnum dei
annunciarit. Indicauit se omnium habere potestatem,
adeoq; omnis boni se fontem esse inexhaustum, qui
uelit cupiatq; hauriri, proinde omnes ad se inuitat,

E V A N G E L I V M

omnibusq; requiem quacunq; necessitate laborantibus
 pręstaturum promittit. Mox quęstionem de religione
 sabbati diligenter tractat, obiter admonens beneficentię
 & internum dei cultum deo plus probari quęm exter-
 nam obseruantiam. Pręterea beneficentię quę iam
 iam commendarat, ipse mox pręstat homini cuidam ca-
 lamitoso et arida manu afflictissimo, cui integram resti-
 tuit. Quia uero nullis nec beneficijs nec uirtutibus Iu-
 daicę gentis duritię emollire poterat, ipsis subinde
 struentibus uitę eius insidias, discedit ab ipsis ad tem-
 pus, nihil interim acerbius aut atrocius contra ipsos ma-
 chinans, si forte suauitate et longanimitate uinci queat,
 hoc ipso ministris suis, quid & ipsi in similibus casibus
 & cū huiusmodi hoĩbus faciant, formulę pręscribens.

Ceterum ab officio & à benefaciendo non desistit,
 neq; ueritatis patrociniũ relinquit, in his ne tantillum
 quidem concedens hostibus suis. Ergo dęmoniacum sibi
 oblatum cęcum & mutum à dęmonio liberat, usumq;
 linguę & oculorum restituit: & quoniam pharisęi di-
 uinum hoc opus calumniabantur, ascribētes ipsum ope-
 rationi satanicę, dominus patrociniũ ueritatis sibi su-
 mit & ualidissimis argumentis euincit uirtutes, opera,
 adeoq; totum negotiũ suum diuina fieri uirtute non sa-
 tanica, ac iccirco uenisse iam regnum dei. Hic enim ite-
 rum illustrat quod modo diximus primarium esse reli-
 gionis

gionis nostræ caput, Iesum esse Christum. Simul autem aduersarios suos pro dignitate tractans grauissime increpat. Nam incredulitatem, imò impietatem ipsorum protrahit, & quid contemptoribus regni dei futurū sit ostendit. Postremo, matrem ac consobrinos suos colloquium suum petentes duriore responso repellit, hoc ipso significans minimum esse tribuendum carnalibus affectibus quoties negotium agitur regni dei.

L I B E R V I.

PROXIMO libro disseruimus de Ministris uerbi dei, & capitibus quibusdam primarijs religionis nostræ: sequitur iam copiosior de Verbo dei, eius uirtute, fructu & pretio tractatio: quæ conuenienter superiori argumento coniungitur. Nam ministeriū uerbi dei circa ipsum uerbum dei uersatur. Illustratur autem De uerbo dei. Cap. 13. hæc tractatio parabolicis sermonibus, ut uel sic ad perquisitionem ueritatis ac mysteriorum dei animi piorum excitentur. Et prima quidem parabola de semine in agrum contexta, indicat diuersa esse auditoris uerbi dei genera, nec omnes probari deo uerbi sui auditores, sed eos duntaxat in quibus semen ad iustam frugem peruenit. Mox alia parabola, zizaniorum uidelicet, etiam aliud bonæ segetis uitium ac pestem ceu digito

EVANGELIUM

demonstrat, docens interim quomodo bonum semen seruari possit incolume. Hinc duabus alijs parabolis de grano synapis & fermento compositis, ostendit quanta sit uirtus uerbi dei, & quam euidenter in ijs operetur a quibus exceptum est, tametsi mundo uideatur uile & contemptum. Quarto loco duabus rursus parabolis de thesauro in agro & pretiosissima margarita propositis, significat tantum esse uerbi dei pretium, ut pro hoc merito contemnamus omnia in mundo quantumuis pretiosa, imò ut omnium bonorum iactura uerbum dei nobis comparare contendamus. Porro parabola de Veruiculo iacto in mare exposita, illorum precipue fatum qui sanctorum coetui sese intermiscunt, uerum hypocrisie sunt, & pietatem mentiuntur, depingit, docens interim non facile ullum esse mox condemnandum, sed suoquenq; iudici relinquendum. His ad hunc modum expositis, iubet etiam ministros suos commentari parabolis, proq; illustranda ueritate & regni dei gloria ecclesiaeq; utilitate omnia eloquutionis genera adhibere. Et quamuis dominus ita doceret, ut nemo posset uel fidem uel diligentiam eius accusare, tamen parum gratus & acceptus erat suis popularibus iridentibus atq; contemnentibus doctrinam pietatis coelestem. Verum istud forti animo pertulit, omnibus suis exemplum preferens, ut & ipsi equo animo tolerent, si mundus ipsis quoq;

paruae

parum sit gratus. Imò subijcit mox Matth. admirandū
 optimi uiri Ioan. Baptistæ exemplū, qui et ipse fideli suo Ioan. Bap^{ti}
 interitus.
 ministerio pessimam ab Herode gratiam retulit, capite
 ab hoc miserabiliter truncatus. Hinc pascit in deserto Cap. 14.
 diuina uirtute frequentem hominum multitudinem miro
 ardore prædicationē uerbi sitientem: eo miraculo osten-
 dens, fidelibus uerbi dei sectatoribus nihil unquam defu-
 turum earum uidelicet rerum quæ ad necessitatem non
 luxum pertinere uidentur. Simul autem discipulos suos
 eodem factō docuit fideli & laboranti populo beneficijs
 subuenire. Postremo discipulos ex lacustribus procellis
 & tempestate graui laborātes, nihilq; aliud quàm præ-
 sentiſsimā mortē operientes, liberat: ita suis declarās se
 illū esse qui ex omnibus possit eripere periculis, poten-
 tiaq; & gratia sua seruare posse omnes, præcipue tamē
 uerbi sui ministros. Ergo si qd Ioannis terruit exemplū
 satis atrox & horrendum, confirmant rursus & con-
 solantur hæc duo ingentia et pulcherrima dei beneficia.

L I B E R V I I.

TR A C T A T I O N I de Verbo dei cōueniēter De traditio-
 nibus huma-
 nis.
 subiungitur à Matthæo disputatio de Traditioni-
 bus humanis siue Constitutionibus patrū, utpote uerbo
 dei oppositis. Eas manifeste docet Christus contemnere.

EVANGELIUM

Cap. 15.

siquidem in contumeliam derogationem atq; contemptū uerbi dei tenderint. Et quoniam Pharisei humanarum traditionū patroni, salutari hac domini doctrina offēdebantur, adiungit dominus talis offensionis & talium hominū nullam prorsus rationem esse habendam: ostendens interim rebus externis non pollui hominem, sed ijs potius malis quæ ex animi proficiscuntur penetrabilibus. Mox ab induratis ingratisq; hominibus se auertens, in regionē Gentiliū concedit, ubi protinus inuaditur à Syrophœnissa ualidissimæ fidei muliere: in qua et mirificū exemplū ueræ fidei & effectus eius clarissime proponitur. Nam post repudiatam doctrinam falsam, quæ falsæ fidei mater est, multa diligentia traditur in hoc VII. libro, quemadmodum & IIII. factitatum est, fides in dominum uera uerumq; fidei ingenium, explicantur item primi fidei nostræ articuli. Porro in Galilæam regressus turbam denuo se conseruantem pascit, isto quoq; beneficio indicans se esse qui & animam & corpus pascat, ac iccirco fide alimentum illud unice & impensissime à pastore Christo ambiendum. Postea phariseos signum quo se Messiam esse comprobaret, postulantes repellit, reposito ipsis mortis & resurrectionis suæ signo.

Fides.

Cap. 16.

Deinde iubet suos cauere à Phariseorum & Sadducæorum doctrina: quod quanquam & initio 15. cap. tradiderat, repetit tamen hic in cap. 16. utpote rem ecclesiæ

ecclesiæ in primis necessariã. Rediēs dehinc ad uerã fidei cõmendationẽ, fidei fundamentũ collocat, fundamento ecclesiã imponit, & quæ sit uera catholice ecclesiæ fides, quæ uera & orthodoxa cõfessio ceu digito demonstrat, simul ostendens quomodo ea possit plantari. Quibus protinus adiungit manifestissimam de passione & resurrectione sua, item de abnegatione sui & cruce post Christum ferenda, deq; futuro iudicio, hoc est, maximis fidei nostræ articulis, sanctoq; Christianorum officio, ad fidei integritatem omnino pertinentẽ doctrinam. Rur= Cap. 17.
sus ne quis tristi hac & laboribus arumnisq; plena de ferenda cruce doctrina offenderetur, subiungit Matth. confestim gloriosam Christi domini in monte transfor= Christi transformatio.
mationem, qua hic partim gustum exhibuit qualis ipse futurus sit in gloria, & qualis sit ratio futuræ gloriæ, ijs paratæ qui se cruci Christi fideliter ac patienter implicarint: partim uero euidentissime demonstrat se esse Christum illum in lege & prophetis promissum, quo fidem in se omnium credentiũ confirmaret. Et hæc quidem tam manifeste discipulis proposuit, ut iam aperte intelligerent Iesum esse Christum, atq; ideo quæstionem mouerent de aduentu Helie præambulonis Messie, ad quã protinus respõdens dominus asseruit se esse Messia, Ioannem uero Baptistam Heliam. Postremo restituit Litanicum quendam supplici patri suo, eodem rursus bea

EVANGELIUM

nescio declarans se esse regem populi sui, uictorem diaboli, item quanta sit fidei uirtus, & quantum incredulitatis malum, appendens temperantia & abstinencia ex uera fide profectis, maxime diaboli uires infringi. Atq; his adiungit euestigio prædicationem de morte & passione sua, non sine insigni & ubere fructu.

LIBER VIII.

Cap. 18.

RECTE composita fide in dominum Iesum, recteque indepta uera regni filij eius cognitione, de qua multis hæctenus egit Matthæus, prudenter nunc transit ad ea quæ ferè circa externam hominis conuersationem uersantur, interim ipsa quoque ad regnum Christi pertinent. Cuiusmodi est quæstio de Magistratu, Quid huic debeant Christiani? Ostendit ergo suo ipsius exemplo dominus, quid hic recte faciamus. Huic affinis est quæstio de prælatura ecclesiastica, Quis maximus sit in regno cælorum? Auocat hic dominus suorū animos ab ambitione ac disputationibus de primatu institutus, & humilitatem diligentissime docet. Mox adiungit his utilem admonitionem de uitando scandalo: ubi etiam differit de admonitione fraterna, de reprehensione publice peccantium, & de condonatione noxæ, quam singulis grauitè suadens pulcherrimam super hac re con-

textus

De magistro
stratu.

De prælatura eccle-
siastica.

textit parabolam. His absolutis disputat de Diuortio: Cap. 19.
 restituit ac reformat sancti matrimonij ueterem & san-
 ctam institutionem: recenset eunuchorum genera, indi-
 cans coelibatum singulare esse donum dei. Quia uero
 matrimonium maxime propter liberos procreandos di-
 uinitus inuentum est, proxime post restitutum coniugium
 ostendit quo loco sint liberi apud deum. Producit & ado-
 lescentis cuiusdam exemplum, quo doceat ad adolescen-
 tes quoque pertinere quaestionem de regno dei, & deum
 cupere ut iuuentus recte erudiatur. Ibi indicatur qua
 pateat ad caelos uia, quis item sit usus opum, & quo
 animo oporteat possidere terrenas facultates.

Porro ex colloquio domini oritur iam alia dispu- Cap. 20.
 tatio de premio uirtutum, & quam modeste oporteat
 sentire eos qui expectant praemia. Id quo animis om-
 nium insingeret altius, producit parabolam patrisfami-
 lias, conducentis operarios in uineam suam: qua inte-
 rim Iudaeos tacite perstringit & gentium receptionem
 nonnihil adumbrat. Rursus ne quisque praemij uoce elatus
 arbitraretur se suis iustificandis operibus, diligenter con-
 cionatur dominus de morte & resurrectione sua, ut in-
 telligamus illis nos iustificari. Et quamuis haec multa cum
 grauitate inculcasset, caro tamen ad honores aspirans per-
 petuo, non ea quae dei, sed quae hominum sunt, querit. Nam
 mater filiorum Zebedaei, non nescijs filijs, primatum petit &

EVANGELIUM

domino filijs. Hinc invident ipsis reliqui discipuli, & inter sese acriter ambitiosissimeq; digladiantur. At dominus reducit omnium mentes ad humilitatem, evidentissimis argumentis eximens uenenum illud perniciosissimum. Postremo cæcis misericordiam dei implorantibus restituit uisum, in hoc ut omnibus modis declararet, se uiuandis saluandisque hominibus in terram uenisse.

LIBER IX.

Ingressus
domini in
urbem.

Cap. 21.

DESCRIPSIT proxime Matthæus quid hactenus egerit dominus in Galilea & in itinere à Galilea proficiscens Hierosolymam, porro exponit quid in ipsa urbe sancta & regia fecerit. Quo autem propius accedit ad crucem & mortem, hoc uiuidius salutaris exerit uires, & magnificam suam potentiam ac gratiam sanctissime ostendat. Nunc enim urbem sanctam pompa planè noua & humili ingrediens, clarissime demonstrat se esse regem illum siue liberatorem Israelis expectatum. Excipitur promptis animis ac splendide à plebe, ut inde discamus etiam nos uere & religiose excipere dominum. Ipse uero in templo, præ luore & odio rumpentibus propè Pharisæis ac sacerdotibus munia planè regia & sacerdotalia exequitur. Principio enim à sordibus reopurgans templum & sanctum dei cultum reformans,
mendes

uendentes & ementes proturbat e templo: deinde pau-
perum curam suscipiens, ægrotos sanat. Et his feliciter
peractis, urbem egreditur, sicum nullos ferentem fructus
execratur, quæ protinus exarescens, typo quodam factum
urbi sanctæ impendens adumbravit. Quanquam
dominus eius quoq; occasione discipulos ueram fidem
docet, & ipsis fideles preces commendat. Rediens ue-
ro in templum, pro sacerdotali officio diligenter docet,
& acriter concertat cum hostibus ueræ religionis. Hi
enim interrogantes, Quæ autoritate dominus illa quæ
peragebat, faceret, opposita questione compescit, imò
grauissime ipsos accusat perfidiæ & impœnitentis uitæ.
Nam in hoc producit parabolam contextam de duobus
filijs, comparans hostes suos cum publicanis ac meretri-
cibus, ut ostenderet hos illis esse religiosiores beatio-
resq;. His adiungit protinus aliam parabolam patrisfa-
miliæ elocantis uineam suam agricolis siue colonis, quæ
graphice depingit dei beneficia & populi iudaici per-
tinacem & impudentem ingratitude, quibus mox
appendit pœnam, Iudæos uidelicet reijciendos, & in
ipsorum locum asciscendas gentes. Quò nimirum & Cap. 22.
illa parabola quæ de inuitatis ad nuptias contexit, per-
tinet, exprobrans Iudaicæ genti inobedienciã & incre-
dulitatem, ob quam sint excindendi ac repudiandi.

His absolutis pergit Matthæus delineare graues ali-
nes domini.

EVANGELIUM

quot acres & utiles quaestiones siue disputationes habitas inter dominum ac legisperitos. Principio de eo, An census Caesari pendendus sit? Deinde, An mortui resurgant & quomodo resurgant? Hinc, Quodnam sit praestantissimum in lege mandatum: quis scopus & quodnam argumentum sit legis & prophetarum? Post haec, Quomodo Christus cum sit Davidis filius, secundum carnem, possit simul eius quoque dominus esse? Haec omnia pro sacerdotali officio religiosissime, doctissime, clarissimeque multo cum fidelium fructu exponit dominus noster. Postremo autem cum cerneret Phariseos ac reliquos populi duces plane caecos esse, induratos & incurabiles, grauisime in ipsos inuehitur, accusans eos grauisimorum & prorsus enormium scelerum: addit scelerum poenam, atrocissimum & gentis & urbis excidium. Haec omnia egit palam, magna cum autoritate in templo dominus noster, his uarie & in multis utiliter suam erudiens ecclesiam.

Cap. 23.

LIBER X.

Cap. 24.
Vaticiniū
de excidio
Vrbis &
Orbis.

OBITER sed per frequenter meminit dominus noster hucusque excidij gentis iudaicae & Hierosolymitanae urbis: in quo & abiectioem iudeorum & dei consortio, & prophanationem templi, sacerdotij totiusque cultus comprehendit. Haec quoniam mira & incre

incredibilia uidebantur, deum uidelicet populum illum e
 sanctis natum parentibus, locum item & cultum & sa-
 cerdotium sanctum prophanaturum, plenius, discipulis
 rogantibus, iudicium seu fatum populo & urbi impena-
 dens exponit, graphice describens quæ prodigia atq;
 ostenta, quæ turbæ, calamitates, & miseriæ interitû illis
 sint præcessura, et qualis, quàm crudelis, horrenda, ter-
 ribilisq; futura sit uastatio Mox occasione excidij urbis
 differit & de orbis excidio siue de consummatione sæ-
 culi, & de glorioso aduentu illo filij hominis in iudiciû:
 adhortans omnes homines ad sobriam & diligentem uigi-
 liam, præmia proponens uigilantibus, & pœnam mini-
 stans inertibus stertentibusq;. *Cap. 25.*
 Quæ protinus uenustissi-
 mis copiosissimisq; illustrat parabolis, tam uigilantium *Vigilantibus*
 quàm stertentiû partes persequens. Postremo subiungit *omnibus.*
 Matth. descriptionem ac ueluti picturam quandam iu-
 dicis uenturi & extremi illius iudicij: in quo à iudice
 profertur contra omne genus mortalium sententia ulti-
 ma, bonis quidem iucunda, malis uero tristissima. Nam
 ita concluditur hoc negotium, Et ibunt hi in supplicium
 æternum, iusti uero in uitam æternam.

L I B E R X I.

SUBIUNGITUR his omnibus ceu colophon
 & totius salutis nostræ absolutio perfectissima, scilicet

E V A N G E L I V M

Passionis
Christi hi-
storia.

rosancta & utilissima Passionis & redemptionis Christi domini historia: in qua omnia tam sacerdotis quam regis officia explet, breuiq; in compendio maximas vires suas omnibus spectandas proponit. Nam & uerbis & factis suis omnibus diligenter docet, sacramentū celebre instituit, ardentissime orat, sacrificat pro peccatis, ac peccatores expiat, liberat, miseretur, defendit suos, atq; proterit punitq; impios, incredibilem passim humilitatem præstans, neq; exiguam interim gloriam proferens, quando omnia elementa in morte eius turbata ceu doloris sui maximi insignia dedere argumenta. Pulchro ordine & stilo puro, dilucidoq; atq; uegeto persequitur singula Matthæus. Primo enim tempus commemorat quo passus est, et summā passionis proponit. Deinde de causis describit mortis domini aliquas, partim ex inuidia & malitia sacerdotum contra Christum, partim ex auaritia & horribili defectione Iudæ dominum suum senatui pontificio uendentis, proficiscentes. Absolutis causis accedit ad descriptionem Cœnæ illius ultimæ: in qua ante omnia prædicit suis & mortē suam, & quod à suis & proditus sit & diuenditus: præterea multis modis animum Iudæ proditoris ad resipiscentiam sollicitat: sed frustra. Hinc instituit in ea Sui corporis & sanguinis celebre sacramentū, commemorationem mortis suæ, in qua uidere licet nostræ salutis totiusq; pietatis

Cap. 26.

Cœna.

tis compendium. Vbi uero coenatum esset, exit cum discipulis in montem oliuarum. In itinere praedicat scandalum ingens oboriturum inter discipulos. Hi autem satis audaces & temerarij, neq; suam infirmitatem satis agnoscentes, constantiam et fidem pollicentur eximiam, Petrus in primis, cui tamen dominus lapsum praedicat foedissimum.

In horto montis oliuarum mirabiliter angitur, & In horto
me u mortis miserabiliter discruciat, orat interim ar- quid factu.
denter atq; constanter, committens & se & totum ne-
gotium suum deo & sanctae eius uoluntati. Iam & di-
scipulos dormitantes excitat sedulo: cumq; in eo occu-
paretur, adest proditor Iudas, trahens post se cateruam
nequissimorum & spurcissimorum hominum: mox oscula-
tur magistrum, & osculo impijssimis hostibus prodit do-
minum suum. Nam ministri pontificij irruunt in do-
minum, capiunt, uinciunt, opprimunt. Interea infelici-
ter pro domino suo pugnat Petrus, reprimiturq; a do-
mino: qui protinus & ministrorum pontificiorum aper-
tam, grauem, iniquissimamq; contumeliam sibi iam irro-
gatam obiurgat. Dum autem haec ita fierent, aufugiunt
discipuli a domino omnes.

Ipse uero ad Caiapham sacerdotum principem ab- Iudici fiti-
ducitur in consistorium. Ibi duo potissimum aguntur. tur domi-
Accusatur dominus coram sacerdotibus & synodo, pro- nus captus.

EVANGELIUM

ducuntur testes falsi, iniquissime discutitur causa domini, tandem uero condemnatur, ceditur atq; conspuitur indignissime. Simul autem & Petri abnegatio turpis & pœnitenda copiose describitur.

Cap. 27.

Lata condemnationis sententia, continuo à sacerdotibus & è consistorio aulae summi præsulis abducitur in prætorium augustum ad præsidentem Romæ Pontium Pilatum, cui traditur cum mortalium nocentissimus, mortemq; commertus turpissimam. Interea Iudas proditor in sese altius descendens, & facinus suum longe crudelissimè rectius expendens, abit in templum, pecuniam proditoriam sacerdotibus reddit, desperat, ac sibi ipsi horribile consciscit exitium. Sacerdotes è pecunia sanguinaria emunt agrum figuli in sepulturam peregrinorum.

Quid actum coram Pilato.

Porro Romanorum præsides Pontius Pilatus diligenter inquirat causam & accusationis capita à sacerdotibus contra dominum instituta: intelligitq; protinus sacerdotum inuidiam esse in causa: proinde & innocentem pronunciat, & absoluendum omnino censet: unde uaria & multa tentat ut innoxium liberet. Sacerdotes contra instant improbissime, accusant, urgent, mentiuntur, minantur, plebem item concitant, tandem & clamoribus importunis iudicem delassatum frangunt, ut dominum permitteret eorum libidini, suisq; militibus traderet

traderet crucifigendum. Milites ergo crudelissime indignissimeq; filium dei flagris cædunt, sero spineo coronant, per contemptum adorant, derident, atq; conspuunt: hinc crucem in humeros eius iniiciunt, & seminecem pertrahunt ad locum capitalem.

In eo crucifigunt ipsum medium inter latrones ne-
Crucifigi-
tur domi-
nus.
 phandissimos, partiuntur uestes eius ceu spoliū quod-
 dam, positaq; omni commiseratione & humanitate, illu-
 dunt acerbissima perpetenti tormenta, quasi spe sua
 apud deum frustratus sit. Ipse uero in tot tantisq; con-
 tumelijs atq; tormentis summa in fide & patientia con-
 stanter perseuerans, sanctissimeq; pro peccatis totius
 mundi litans, ad deum patrem clamat, cui & expirans
 tandem sanctissimam tradit animam. Mox autem ut ex-
 pirasset scinditur uelum in templo Hierosolymitano,
 fiuntq; in caelo & in terra stupenda quedam prodigia:
 quibus permotus Centurio ethnicus palam testatur Ie-
 sum hunc, quamuis crucifixum uerum esse dei filium.

Post hæc adit Pilatum Ioseph ab Arimathea, am-
 plissima fidei & dignitatis homo, & postulat sibi dari
 corpus Iesu ad sepulturam. Concedit id sponte Pila-
 tus, ergo sepelitur domini corpus dignissime. Porro
 Iudæorum primores metuentes resuscitandum domi-
 num, postulant & ipsi à Pilato cohortem militum
 sibi ad sepulchri custodiam dari: accepta hac ualidissime

EVANGELIUM

sepulchram cingunt, & ne ulla committeretur fraus,
lapidem siue operculum sepulchri obsignant, nimirum
ut uiuentem retinerent inter mortuos.

LIBER XII.

Resurrectio
domini.

Cap. 28.

POSTREMO hoc capite describit *Matthæus*
gloriosam ex mortuis Iesu Christi domini nostri re-
surrectionem. Descēdit de cœlo angelus domini, reuol-
uit lapidem ab ostio monumenti, incusso telluri terræ,
motu, prodit autem ilico rediuiuum & gloriosum domini
corpus. Porrò quia angelus fulguris instar radiabat, cu-
stodes territi, non obstant resurgenti domino, sed fuga
sibi consulendum putant. Interea ueniunt mulierculæ
ad sepulchrum, portantes quæ parauerant aromata. His
apparet angelus ille domini, ac Christum uere resurre-
xisse docet, iubens ut protinus abeant, atq; resurrectio-
nem discipulis nuncient. Abeuntibus obuiam uenit ipse
dominus, rediuiuum exhibens se eis manifeste, præci-
piensq; ut resurrectionem suam ueram nuncient disci-
pulis. Dum hæc fierent, milites illi sepulchri custodes,
quos modo stationē suam reliquisse ac fugisse diximus,
in urbem uenerant, pontificibusq; uisa narrabant, quo-
modo descenderit de cœlo angelus, lapidem reuoluerit,
Christus rediuiuus prodierit, & quàm illustris horribi-
lisq;

lisq; fuerit angeli species. Ad quod nuncium prorsus consternati, & amentes sacerdotes ac pharisæi, pecunia corruerunt milites, qui sicut docti fuerant mentientes, fabulam in vulgo excitarunt ridiculam, ipsis uidelicet dormientibus uenisse discipulos, ac corpus è sepulchro surripuisse.

Ceterum dominus Iesus manifestissime se suis uisendum exhibens in Galilea, suos in ueritate fidei confirmat. Et quoniam omnia ea quæ in hoc libro hæcenus exposita sunt de doctrina, factis, morte & resurrectione Christi ad cõmunem totius generis humani salutem pertinent, iccirco discipulos suos in totum mundum ablegat, iubens baptizare ac prædicare euangelium omni creaturæ, pollicens interim se quanquam corpore in cœlum ascendat, affuturum suis ac suæ ecclesiæ sanctæ perpetuo ac in finem usq; sæculi.

Ablegantur apostoli in orbem prædicatũ euangeliũ.

DIDICISTI hæcenus ex hoc sacrosancto S. Matthæi euãgelio, ô fidelis anima, IESVM illum dominum nostrum Dei æterni & Mariæ uirginis filium sub Pontio Pilato crucifixum, uerum illũ esse Christum siue Messiam saluatorem mundi, quem Moses & propheta prædixerũt uenturum in mundum. Hic quamuis deus sit uerus, & ab æterno consubstantialis patri, sub Augusto tamen Cæs. carnem ueram ex intemerata uirgine Maria assumpsit, & homo nobis per omnia, exce-

Summa totius operis huius.

EVANGELIUM

pto peccato, consubstantialis, factus est. Sub Tiberio Cæsare, ueram sapientiam & religionem in Galilæa atq; iudæa docuit, omnem superstitionē subuertit, miraculis quoq; stupendis fidem sibi fecit, & omnibus beneficia, hæcenus in orbe non audita, præstitit, calamitosi & peccatoribus in primis. Tandem uero idem sacerdos & hostia sponte sua sese deo patri pro expiatione omnium totius mundi peccatorum, obtulit, crucifixus secundum scripturas, mortuus & sepultus. Resurrexit autem tertia die proprio illo suo corpore quo sepultus fuerat, resurrexit inquam uere, ueramq; carnem, sed clarificatam discipulis suis manifeste exhibuit. Eodem corpore uero in cælum ascendit, conseditq; ad dexteram patris omnipotentis, rex & dominus factus uniuersorum. Cuius gratia merito atq; uirtute iustificantur quotquot credunt. Ipse enim est orbi à patre datus, iustitia, uita, salus, & redemptio. Per ipsum uiuent à morte corporea animæ nostræ apud deum. Per eundem excitabuntur & corpora nostra in die iudicij, ut integri iam anima & corpore cum ipso in regno dei uiuamus & letemur in sæcula seculorum. Cui sit laus & gloria semper.

F I N I S.